05
A
795

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-545788-p0001-0

A

M

Q. D. B. V.

DISSERTATIONE POLITICA,

AMNESTIAM

PRO LOCO

Ab Amplissimo Philosophorum

Ordine sibi benevolentissimè concesso,

IN

INCLYTA AD ALBIM ACADEMIA,

Favente Numinis div. gratiâ,

Publicè defendent

PRÆSES

M. JOHANNES WOLFIUS,

Löbej. Saxo,

&

RESPONDENS

AUGUSTUS POSSELTUS,

Zittaviâ Lusatus,

Ad D. 2. Maji. MDC LXXIIX.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.

DISSERTATIONE POLITICA.

ANNUENTIAM

PRO LOCO

Ab Amplissimo Philosophorum

Ordine Academiae Lipsiensis

IN

ALMA ACADEMIA.

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK SACHSEN-ANHALT HALLE (SAALE)

05 A 795

I. N. J.

PROOEMIUM.

I omne pacis conciliandæ negotium, quô de dubitare velle qvenqvam, nefas esse judico, *plurimis est vel difficultatibus obseptum, vel intricatum dubitationibus*; Tùm vel maximè *Civilia sive Intestina dissidia bellaq́;* arduam magis ancipitemq́; habent compositionem. Est in Bellis Civilibus, ut gravissimè rem *Cicero apud Dion. 44.* exponit, quædam malorum concatenatio ac veluti circulus, cujus revolutio perpetua, tristia tristibus superaddit, nec modum miseriarum ac finem esse facilè concedit; sed proxima quæq́; concertatio, maximo simul adhibitô impetu, sequentem, veluti efficax Causa & instrumentum, trudit. Qvippe magna est apud oppressos vindictæ libido, quam magna victorum vindictæ superat licentia. *Et quemadmodum illis Socios, paris calamitatis intensissimus metus: Ita his, cupido vehemens paris licentiæ adgregat.* Jam quis tumultuantes vario dissensu animorum motus; quis præsentium fastidia, quis futurorum aucupia satis adumbret, quibus rebus ad proprium interitum singula concitatô maximè cursu ruere conantur. Exemplo, si vel nullum aliud supereſſet, puto tamen reperiri longè pluribus, ſunt *Athenienses*, quippe illi, qui relicto tandem Pyræeô, Urbem repetierant, potuissent ultioni ab Urbanis sumendæ multum tribuere: Urbani, industriæ fortunam secuti, fortean potiores futuissent viribus, & insperatâ mox clade, insperatâ beatos victoriâ, crudeliter prostravissent. Aliis nefandum, quo Tyrannis subvenire acriter studuissent, objici cum exprobratione poterat studium: Alios privata, quosdam publica exasperare invicem poterant incommoda. Et quamvis pax aliqua coivisset, bellorum facinora

pace disceptanda veniebant. Qui pro libertate fortiter steterant, à Servitutis admissæ Alumnis, ut torvum videntes; hi ab aliis, ut generis sui liberioris immemores, reputari poterant. *Deniq; sicut furore maturatô suppressum incendium, modo raras absconditas adhuc habeat scintillulas, flatu quovis imminente, lapsas resumit vires; Sic malè extorta fermè gratia pacisq; benevolentia, ostensâ vel leviori ansâ, adveteres rediisset insidias* novaq; spirasset dissidia. Advertens rem ingeniosus pariter ac dissensûs intestini abolendi benè peritus, Thrasybulus, tollenda potiùs, quæ nec filô quodam Ariadnæo expediri, nec gladio Alexandreo rumpi poterant, litis & dissensus semina, obliviscendo atq; consopiendo; quam expedienda per disceptationem aut severiora judicia prudenter judicavit, atqve adeò Oblivionis Legem sancivit. Quæ res cùm apud Athenienses non modo: Sed alios qvoqve moratiores Gentes sedem ex imitatione acqvisiverit, & sæpiùs huc usq; in Transactionibus usu qvàm maximô venerit, calcar nobis addidit, præsenti solenni Dissertatione eam breviter, *& quantum methodus istiusmodi Thematis Logica requirit*, exponamus. *Deus, cujus ductu singula subire conamur, adsistat nobis quàm clementissimè!*

§. 1. *Origo* præclari hujus Instituti, de eâ enim carptim aliquid in antecessum dicere putavi, communi Scriptorum suffragio defertur *Athenis, Urbi claritate, vetustate, magnitudine pariter ac omnis humani inventi elegantia memorabili*, optima & antiquissima à Cic. ap. Dion. appellatæ. Hujus res ad summum felicitatis evectæ, Æmulos æqualisq; potentiæ impatientes Lacedæmoniorum animos commoverant, ut, abjecto videlicet omnis modestiæ & rationis usu, qvod æqvitas nolebat largiri, ambitione, ferro & vi extorqvendum Sociis putarent. Scilicet Spartani huc usq; ante omnes eminere consveverant, atq; adeò tenere Ducatum in Bellis, si qvæ incidissent inter Græcos. Invidentes itaqve Athenienſibus, qvod & bellicâ gloriâ, duabus victoriis, Marathonia & Salamina, teste *Themistocl. C. 6.* ac opibus pariter indies magis magisq; valere apud omnes, & sic ipsâ fortunâ antestare sese viderentur, superandi contentionem, modum fortunæ à nullis magis exigentes, qvam qvos in æqvô videbant *Tacit. L. 1. Hist. C. 20.* tentabant; ut itaq; eorum opus, quo moliebantur extructionem mœnium, infirmarent impri-

imprimis, omnibus sibi ad laborandum viribus judicabant opus; premendam scilicet vicinam, qvæ sibi imminebat, potentiam rebantur, ne pares fiant, qvi imbecilliores hactenus fuerint. Hoc Incrementum Athenarum, potentiâ pollentes duos ad Arma vocavit populos, in partes tractâ universâ Græciâ, imploratis insuper, ut nihil deesset fortè inferendæ cladis, exterorum Armis. Alternari primitùs, mox ex æqvo ferè suspendi eventus belli ceperunt, *donec infractam Athenienſium poteſtatem non tàm prælio aut hoſtium virtute, quam ſecretiori hâc in re fati cura, Spartani ſuperarent. Attriti namq; apud Ægoſpotamos, Helleſponti Urbem.* Proximam deinde victoriam instrumentum seqventis esse *Teſte Juſt. L. 1. Hiſt. C. 1. Athenienſes experiebantur, ſiquidem Urbem arctiſimâ mox obſidione urſam dedere, Victorumq; iniquiſima imperata obſequiosè facere tenebantur.* Occupata Urbe, crudeles victores devictos socios admodum avarè & superbè habentes, omne terræ marisqve Imperium exuere, naves adducere mæniaq; evertere mandabant; *Adhæc erat iis inter nova dominationis Arcana receptum, abjectô ubiq; ſtatu populari, alibi Decarchias, alibi Triacontarchias inducere, quô ſcilicet Tyrannico Imperio, cui totius etiam Græciæ Principatum ambitiosè deſtinaverant, vi & metu coercerent, quæ aliâ ratione non poſſent. Surgebant inde triginta Tyranni diverſi inter Cives ſtudia ſuſcitantes, publica facies ulterius non agnoſcebatur, intendentibus paucis ad eam animum, præ inſanâ Armorum rabie. Quippe Theramenes, eximius Juris Patriæq; libertatis adſertor, ob odia aliorum exitio adjudicabatur. Eadem fata, ſi non duriora, manebant & integræ fidei in Patriam, Autolycum.* Verbo; tàm sævis infestisq; temporibus, nobilibus, ingenuis, divitibusq; nulla, nisi in Exilio, spes supererat. Unde dimidia pars Urbis *Argos Thebasq;*, qvibus virtus præsto adhuc erat contra Lacedæmonios, confugiebant. Degebat inter eos fortè & *Thraſybulus Exul, quem ingens Patriæ ruina, ceu incomparabili virtute inſtructum, in Arma conjiciebat, paucis ſuæ honeſtæ factioni adhibitis, intolerabile Tyrannorum Imperium magnâ cum laude evertebat, quo de confertur Corn. Nepos in Thraſybuli vita cum variis Comm.* Inter alia præclarum hoc tùm qvoq;, verba sunt Corn. Nep. Thrasybuli, *quod reconciliatâ pace, cùm plurimùm in Civitate poſſet, legem tulit; ne quis*

anteactarum rerum accuſaretur, neve mulctaretur: Eamq; illi legem oblivionis appellarunt Cap. 3. in Vita ejus. Et quemadmodum Boni character Nomothetæ, ſi legem latam ipſe reſpiciat, Judice Decanô p. t. Spectabili, cujus Amplisſimum allegaſſe ſufficiat Nomen, Dn. Georg. Caſp. Kirchmayero, Patrono noſtro ſummo, in Annot. ad h. l. Ita hanc non tantùm ferendam curavit, ſed etiam ut valeret, effecit. Unde pro tantis meritis honoris corona huic eſt data, facta duabus virgulis oleaginis. Conf. Nep. pl. Tranſiit ab Athenienſibus præclarum hoc Inſtitutum ad alias qvoq; Gentes, atq; ad noſtra usq; tempora vigere, niſi temporis Articulus penitùs neglectus fuerit, haut deſtitit. In examine hinc ejusdem non ad primos ſemper recurremus Autores; ſed in Natura præcisè inſpectâ acqviescere ſufficiet.

§. 2. Satis de his, qvantum ad rationem inſtituti. De *Etymo Vocis* pariter ut breviores ſimus, compoſitam eandem eſſe ex *α*, vim στερητικὴν habente, & *μναόμαι*, qvaſi ſecundum Herodianum L. 8. C. 8. Ἀλλὰ τὸ μηδεμίαν εἶναι τῶν πεπραγμένων μνήμην, dixeris, eò qvod nulla ſupereſſe debeat anteactorum memoria. *Vel ut Cicero Orat. Philip. 1.* qvod omnis memoria discordiarum Oblivione ſempiterna delenda ſit. Cenſuram, qvod alii absre putare videntur, non incurret, qvisqvis Ciceroni hanc Amneſtiæ vocem in os veniſſe arbitrabitur, dum locô modô alleg. inqvit: *Græcorum etiam Verbum uſurpavi, qvo tùm in ſedandis discordiis erat uſa Civitas illa; qvippe ſi nullum hîc gloſſema irrepſit, habemus, cur Controverſiæ non involvamur, & discedamus tùm à Mureto Var. Lect. L. 2. C. 15. tùm à Lambino, ad Philip. Cic. qui, non Ἀμνηστίας vocem, ſed τὸ μὴ μνησικακεῖν à Cicerone ipſo indicari contendunt.* Et ſi verò hæc opinio alicujus probabilitatis ſpeciem adhuc habet, neq; teſtibus Xenophonte ac Æſchine apud Lambinum conqviſitis deſtituitur: *Diſtinctio tamen ea intercedit, quæ inter legem & materiam alicujus legis, aut inter Nomen rei & decreti ſuper re facti, vocabulum intereſt.* Legi Nomen erat Ἀμνηστία: lege vero iſthâc τὸ μὴ μνησικακεῖν apud Athenienſes ſanciebatur: veluti præter *Diodorum Siculum, Hiſt. L. 14.* teſtatur Scholiaſtes Ariſtophanis. [*Plutarchus*] Cæterùm cùm res ſit levioris momenti, eam linqvimus.

§. 3. Extra oleas vagemur, & illos præſcindamus Ramuſculos

sculos, qui à viâ nostrâ admodum disiti, ex eo non possumus persvaderi argumento, *quod sat multa in morali nata habeamus horto, quorum penitiorem exasciationem nobismetipsis injunximus.* Exponant itaq; Theologi Amnestiam suam; agant fusiùs de Oblivione, limites ponant, quousq; in Quæstionibus, fidem & salutem æternam concernentibus, per mutuam quandam Amnestiam, Animi coire & amico jungi queant fœdere: Nos in præsenti manum de Tabulâ. Neq; etiam cum *Naturæ jam Scrutatoribus res est*, quibus Amnestia sive Oblivio oppositum memoriæ audit: *Et sicut illa Species receptas & dijudicatas retinet & conservat, docente B. Sperl. Inst. Phys. L. 7. C. 3. p. m. 1065. ita hæc receptas dijudicatasq;, vel ob naturæ vitium, vel ob langvidiorem impressionem, vel ob temporis distractam rationem, penitus deperdit.* Adserti ratio firma reddetur in sequentibus. Inde tamen non omnem Amnestiæ reliquam acceptionem indifferenter admittimus. *Generaliter quippe sic dictam, quâ iratus & in societatem forte injurius, agnita delicti gravitate, istius oblivionem vel impetrare studet, vel se iræ & contentionis oblitum esse fatetur*, excludimus; cùm hæc legis decretiq; vim nec habeat, nec obtinere queat: Ex quo ultro fluere videtur, *omnem quoq; Amnestiam privatam*, quâ vel Familiæ diversæ unius Civitatis, vel Civium haut exiguæ cohortes, litibus quibuscunq; amotis, unum resumere studeant animum, actis perpetuæ oblivioni adjudicatis, tantisper suspendendam esse: Quæ enim ad privatorum reconciliationem, pacta privata, transactiones &c. spectant, ê JCtorum foro huc evocare, instituti ratio non largitur, cùm &, si quæ etiam inter privatos dicenda Amnestia, minùs propriè talis sit. Relinquitur hinc in Quæstionem venire *Publicam, eamq; ad Civitatem restrictam, inventamq; vel inter discordantes Imperantes & mandata obsequiosè facientes, vel inter plures unius Civitatis Legibus contentos.* Talis est fortean, unius saltem generis, quæ in Instrumento habetur pacis *num. 1. & 2. Pax sit, verba allego propria, Christiana, universalis, perpetua, veraq; & sincera Amicitia, inter S. Cæsaream Majestatem, Domum Austriacam, omnesq; ejus fœderatos & adhærentes, & singulorum hæredes & successores, imprimis Regem Catholicum, Electores, Principes, Status Imperii ex unâ, & S. Regiam majestatem Regnumq; Speciæ omnesq; ejus foederatos & adhærentes &c. Sit utrinq;*

utrinq;

tringꝫ perpetua oblivio & Amneſtia omnium eorum, quæ ab initio horum motuum, quocunꝫ loco modove, ab unâ vel alterâ parte, ultrò citrogꝫ hoſtiliter facta ſunt, ita ut nec aliorum, nec ullius alterius rei cauſa vel prætextu alter alteri poſthac quicquam hoſtilitatis inimicitiæ, moleſtiæ vel impedimenti, quoad perſonas, ſtatum, bona vel ſecuritatem per ſe, vel per alios, clam aut palàm, directè vel indirectè ſpecie juris aut via facti, in Imperio aut uſpiam extra illud (non obſtantibus ullis pactis prioribus in contrarium facientibus) inferat vel inferri faciat, aut patiatur: Sed omnes & ſingulæ hinc inde tàm ante bellum quàm in Bello, verbis, ſcriptis aut factis illatæ injuriæ, violentiæ, hoſtilitates, damna, expenſæ, abſqꝫ omni perſonarum rerumve reſpectu, ita penitùs abolitæ ſint, ut quicquid eô nomine alter adverſus alterum prætendere poſſet, perpetuâ ſit oblivione ſepultum.

Eqvidem in Pacificationibus publicis, qvando hoſtes Principes diverſi ex æmulatione & ſuperandi contentione, malo iſto ſemper inqvieto, adverſus ſe ſtrinxere gladios, multumq; manare innocentis ſangvinis fecerunt, *Amneſtia quendam etiam invenit locum, atqꝫ inter priores ſæpiùs pacis conſtituitur Articulos, quædam anteactorum oblivio; illa tamen cùm nocendi tantùm & vindictæ aboleat ſtudium, atqꝫ in diſſidiis Civilibus, quippe adverſus quæ propriè inventum hoc uſurpatur, alius planè & intimior ſit reſpectus, ad finibus potiùs, quàm ipſi Amneſtiæ in ſuô rigore ita dictæ, erit accenſenda.*

Jn Externis quippe bellis, gladius, quô cum nocendi jus ſuſcipitur, ſi viciſſim deponatur, quæ alienigenas inter hoſtes accidere clades, facilè, compoſito bellô, ſopiuntur oblivione. *Conf. Grot. L. 1. de J. B. & P. item Fehv. Diſſert. Pol. de Amn.* p. *877.* Igitur, de cœtero non in dubium vocatâ ſalutari, quã in iſtiusmo di Pacificat. pandit, Amneſtiæ virtute, eã quæ *in motibus & bellis inteſtinis* imprimis uſu venit longè maximo, intellectam volumus, quamvis veram & iſtam Amneſtiã, qvæ in Bello publ. obtinet; eſſe nõ negemus; Eamq; tandẽ non temporalem, quæ ad certum determitatumq; reſtricta eſt tempus, & ſuum quidem obtinet uſum (1) *Si formidabili hoſtis externi incumbente potentia publici boni cauſâ privatæ inimicitiæ ac ſimultates ad certum tempus ſequeſtrantur, & quaſi Amneſtiæ clavo appenduntur,* [2] *ſi inter aliquot Jmperii Reipubl. membra exorta ſubitò diſcordia in atrociam magno cum Jmperii diſpendio eruptura, a-*

va, alia ſtatim & commodiori viâ nequeat componi, niſi edictô ſummæ & intactæ Majeſtatis ad certum tempus accuratius tunc affulgeat remedium, inimicitiarum, offenſarum & concertationum quædam injungatur ſuſpenſio: Uſu res venit hoc ipſo ſeculo Anno 51, quando inter Electorem Brandenb. & Palatinum Neoburgicum, pacatis jam noſtris temporibus, lites in Imperio novas exortas, Ferdinandus III. Imperator, glorioſæ recordationis, ſuâ quâ pollebat Autoritate, per Legatos ſuſpenſionem injuriarum hoſtilitatumq; effecit, usq; tum res controverſa in proximis Comitiis publ. decideretur. (3) In Reipubl. Officialibus Legatisve, quando privatæ diſſenſiones, ne pertinaciam in publ. ſtimulent exitium, ad præſcriptum temporis punctum ſuſpenduntur. Nihilominus quia *Induciis ſic rectius quàm Amneſtiæ* æquiparatur, ſeponenda non nihil eſt: Sed *perpetuam* examinandam judicamus, quæ dicitur, quando omnia ſuperiorum temporum acta ſempiterna delentur abolitione, ac ita quidem funditùs extirpantur, quaſi nec grave vel moleſtum accidiſſet quicquam. Qualis etiam eſt quæ Inſtrumento pacis præmiſſa. conf. Felw. l.c. p. 900.

§. 4. *Oblivionem hic pro abolitione anteactorum accipio.* Cum autem *oblivio non ſit in hominis poteſtate, nec memoria Imperium voluntatis ſequatur, aut ſpecies conceptas & intime ſibi quaſi infixas, prout ei lubet, ſubitò deponat, parum abeſt, quin legem iſtam obligationis expertem aliqvis pronunciet. Aſt nõ præcipitabitur, ſi ſtudioſe perpendat diſcrimen, quod Excell. Boecl. Diſſert. 12. de Amn. inter τὸ μνημονέυειν & μνησικακεῖν Exemplo Ulpiani Rhetoris, in Enarrat. Orat. Dem. contra Ariſt. ita conſtituit,* ut ille dicatur *μνησικακεῖν* ſive memoriam injuriarum retinere, qui inquirit in alterius admiſſa & injurias vindictæ Animo; Is autem *μνημονέυειν* dicatur, qui meminit non animo nocendi, ſed ut ſimiles in poſterum caſus evitet. Unde intelligitur hâc lege juberi non omnimodam oblivionem; ſed limitatam; nec tolli memoriam præteritorum, ex quibus prudentia ſœpius educenda eſt; ſed memoriam cum vindictæ ſtudio conjunctam, iſtud enim plebiſcitum, *teſte Valerio maximo*, interpoſuerunt tunc, & hodie interponitur, ne quâ mentio præteritarum rerum fieret aut fiat, aut cauſæ perſequendi juris in medium adferantur, nec præterita querelis nimiis vexentur. *Clariſſ. Claſenius rem ſic evolvit: Equidem, inquit, poteſt quidem aliqua malorum memoria ſupereſſe, ſed talis, quæ deſtituta ſit vindicandi ſtudio,*

ut ita vox oblivionis non tàm memoriam injuriarum, quam vindictæ animum & lædendi voluntatem tollat; Et tàm firma adsit stabilisq; relinquendæ omnis disceptationis & omnis vindictæ voluntas, quasi acta priorum temporum nesciantur. Comp. Pol. L. 3. Cap. 6. p. m. 391.

§. 5. Hanc Amnestiam vocat Cornelius Nep. *Legem oblivionis invitâ Thrasyb. C. 3. Cicero*, vetus Athenienſium exemplum & memoriam omnem discordiarum oblivione sempiternâ deletam. *Phil. L. 1. Justinus*, discordiarum oblivionem *L 5. C. 10. Valerius maximus*, Plebiscitum, ne quà præteritarum rerum mentio fieret, *L. 4. C. 1. Vellejg*, præteritorum oblivionem *L. 2. C. 58. Plutarchus, in Politic. Præc.* ἀμνηστίαν, *& in præc. de ger. Rep.* ψηφισμα τῆς ἀμνηστίας. His omnibus egregium addit Encomion *Æschines*, τὸ κάλλιστον, inquit, ἐκ παιδίας ῥῆμα μὴ μνησικακεῖν, pulcherrimum ex sapientiæ studiis petitum, memoriam injuriarum esse delendam. His ad uberiorem rei declarationem, subjungi talis potest descriptio. *Amnestia est Lex s. decretum solenne, quo communi partium discordantium consensu, anteactorum delictorum atq; injuriarum sancitur oblivio, ad præveniendа vel præcidenda Bella Civilia, & Continendam vel redintegrandam Reipublicæ pacem, aliàs insigniter periclitantem.*

§. 6. *Legem sive Decretum solenne communi consensu sancitum dum dicimus Amnestiam*, tum *publica* indicatur, quæ simul ad firmius obligandum intercedit, tùm *ipse præcedens communis consensus partium.* Prima enim fronte, cùm nuda partium ultrò citroq; inita pactio nonnihil in publicæ sortis præjudicium relinqueret diffidentiæ, in legis & decreti formam est redacta, ut eò major Autoritas & observantia ei conciliaretur, neve quicquam deesset pactionis firmitati, quod præcedente tempore subdolis inconstantium effugiis ad discordias redeundi viam recluderet. *Esse v. Amnestiam Legem quandam* prolixioribus verborum non indiget diverticulis, loco probationis adductis, *quippe Regula est actuum Civilium, obligans ad id, quod rectum est.* Unde suam Amnestiæ *obligationem* esse, Politicæ doctrina vel leviter saltem instructus negare nullô potest modò. *id Grot. L. 1. de J. B. & P. C. 1. n. 9.* Accedit & illud, quod, licet aliæ leges id sibi non sumant semper propriũ, dum sancitur, omnibus clare prælegi vel ad perlegendũ communicari debeat, ne fortè aliqua insint, quorum postmodum

pœni-

pœnitudo nonnullos ſubire poſſit. *Legem Græci olim, teſte Demoſthene, ſic ferebant ad populum; Imprimis â Legislatore palàm recitabatur. Deinde in loco maximè perſpicuo proſcribebatur, ad tertiam Concionem uſq;. Tum â Scribâ legebatur, ut quisq;, ſi quid non è Republ. exiſtimaret, libere proferret. Poſtremò Nomothetis, qui ex Judicibus jurati deligebantur, dari conſvevit, ut eam denuò perpendentes, vel exequerentur vel antiquarent, Rec. Oldendorp. Pratejo cit. Calv. Lex. Jur. p. 519.* In hac lege quicqud reperitur, prioribus ſanctionibus contraveniens, irritas eas reddit, *cùm leges poſteriores, ſi quà ferantur ſitq; Legislatoris voluntas, obligationem abſumant priorum, atq; adeò libertas reſidua ſit penes legem ferentem, eam, probabili modo allegatâ ratione, auferendi.* Illuſtrat rem ex Actis Romanorum l. c. Calvinus, qvi conferri poteſt, probat verò & oſtendit Grotius cit. Libro variis in locis. Poſtquam ita concepta, conſcripta, receptaq; eſt, *ei, ceu legi Scriptæ eſt parendum*, qvantumvis etiam omnium, qvæ in tali Amneſtiæ lege continentur, evidens ſemper non qveat allegari ratio. *Carpzov. Praxi Crim. P. 2. Qv. 6. n. 26. Et quanquam Lex neminem, qui eandem fert, obliget,* & ſic videatur Principem, vel alium qvemcunq;, qvi Amneſtiæ legem conſtituit, non teneri ad ea, qvorum oblivio mutua eſt ſancita: Id tamen hôc in paſſu veroſimile neutiqvam eſt; *licet enim ſe per modum legis, id eſt per modum ſuperioris obligare nemo poſſit, ſed ut quis obligetur, requiratur in Legis Auctore & poteſtas, & voluntas ſaltem præſumta: Poteſt tamen Princeps vel alius qvicunq; obligari ſuâ lege non directè, ſed per reflexionem, quâ ſcilicet pars eſt communitatis, non is, in qvô virtus ineſt integri, ex æquitate naturali, qvæ partes vult componi ad rationem integri. Conf. Grot. l. c. L. 2. C. 4. n. 12. Ut taceam, qvod fidem ſervare publicè ſanctèq; datam communis & apud Gentes receptiſit moris, quo de omnes fere Politicorum teſtantur Libri; Et hoc ipſum Principi innata ſvadeat Lex, ne contra ſuſcepta iſtiusmodi pacta tentet vel minimum.* Ad horum inſtitutorum obſervantiam ſi à nullô cogi poteſt civium, iis tamen ſolutum ſe planè arbitrari non poteſt, niſi vel naturam evertere, vel fide ſocietatem privare, vel Civitatem deſtruere conetur. *De Civibus eorumq; obligatione res magis eſt clara*, ſiqvidem juramentis urgentur legi iſti latæ ſe obſtringere: qvæ naturaliter obligant eos ad id, ad qvod jurant, *etſi illi, qui jurant, ſe non velint obligari, aut jus non dent*

ei, cui juratur. Grot. l. c. L. 2. C. 13. n. 2. Ut verò Adserti veritatem conciliem, allego formulam apud Andocidem Rhetorem Gr. in Orat. de Myster. consignatam p. 217. Injurias, refero lingva Romanâ, à Civium aliquo mihi Civibusq; aliis factas nunquam reminiscar, exceptis, quas triginta & undecim Viri fecerunt, neq; harum quidem recordabor, si modò reddere Imperij administrationem voluerint. Senatores insuper sic jurabant; Non recipiemus delationem aut accusationem eorum nomine, quæ hactenùs facta sunt, nisi de exulibus. Judices peculiariter juramento se obstringebant: Non recordabimur injuriarum, neq; ad aliud nos induci patiemur. Decernemq verò judicijs secundum latas jam leges. Qvæ res, motibus civilibus ortis, adhuc in usu esse debet, qvamvis Princeps, imprimis motibus istis non simul immersus, juramento reciproco supersedere qveat.

§. 7. Pauca de *Consensu disceptantium communi* à me sunt addenda. Reqviritur verò (1) *Liber & spontaneus*, neutiquam *invitus vel coactus specialiter acceptus*; Ille enim ati pacem, solicitans statum præsentem, & tranqvillitatem promovet; Ita hic, invitâ dum dextrâ junctâ, odiorum semina altâ mente reponuntur, crudas mutua in odia mentes non lenire, sed obtundere tantisper solet, donec occasio vindictæ ematurescat, atq; altera pars dissimulatos dolores retractet & insuper exasperet. (2) *Vera Animorum fides atq; sinceritas.* Qvoniam hæc ipse quasi vitalis est Spiritus omnis ex ordine humanæ conventionis, præsertim publicarum magnarumq; pactionum, utpote ubi singularis simplicitas sanctitasq; fidei, cui veluti fundamento totum ædificium civile superstructum est, debetur. His si destituta sit Amnestia, idolum erit & inane otiosæ saltem mentis inventum atq; ludibrium, pravæ versutiæ dominanti malignæq; calliditati fenestris sic apertis, qvocunq; Amnestiæ prætextures ullâ ratione jactetur. Conf. Felw. l. d. pag. 876.

§. 8. Dicitur verò *Lex s. Decretum solenne.* Nam cùm pleræq; non pactiones modò & constitutiones; sed in universum, qvæ alicujus momenti sunt, actiones omnes, præsertim in publico celebratæ, admittant qvædam solennia: *Cur Amnestiam absq; iis contingere crederemus.* Solennitas hîc conspici potest (1) *Verborum*; Observatò enim stilô, qvem vocant, curiæ, in concipiendis istiusmodi Edictis vel Constitutionibus Legislatores solennitatem attendere solent. Neq; verò

forma-

formulæ istæ sunt uniusmodi, sed variant, *tùm ratione temporis*, siqvidem aliter Veteriorum, aliter Recentiorum loqvitur Curia; *tùm ratione Nationum & Gentium*, qvantumvis multa à se invicem desumserint, & mutuo veluti consensu postmodum usurparint. (2) *Rituum & externi apparatus.* Nimirum locus publicus ad solennem pactionem promulgandam eligitur, publicæ exhortationes præsentis populi feriunt Aures, preces insperſæ fluunt (qvod semper in pangendâ re graviori fieri debet) largius, Præcones admonent & meliora svadentem superiorem seqvi acriùs etiam atq; etiam rogant. Dexteræ mox junguntur, Jurisjurandi Religione, cum pondere gravitateq; inculcatâ, rem promissam satis confirmante. (3) *Interrogationis.* Hæc imprimis obtinet, ubi communi partium consensui èxigendo declarandoq; inservit. Licet enim in eô genere Amnestiæ, quô partium odia superioris alicujus edictum mandatumq; coercet, aut ubi Arbitri Compromissarii, tale qvid statuunt, non inveniat locum: In Civilibus dissidiis tamen, ubi partes æqvô ferè jure sunt, aut pari potentiâ, deniq; ubi firmitudini Conventionis, qvàm maximè consultum cupimus, usurpari animadvertitur. Sic graviter rem decidit Nobil. Boecl. Diss. cit. pag. 607.

§. 9. *Partes* nunc, inter qvas Amnestia constituenda, accedunt *Discordantes. Discordia talis vel tumultui & consternationi, vel seditioni vel Bello intestino atq; Civili natales suos debet*, qvippe adversus qvæ propriè inventum hoc adhiberi potest & solet, ut ex supradictis jam tùm patet. *Partes discordantes nonnunquam duæ tantùm sunt, nonnunquam duabus plures.* *Duæ* erant, dum Bellum tricennale, non absq; lacrumis recogitandum, svaviſſimam nostram affligebat & penitùs delere conabatur Patriam; Imperator cum Assecłis, & Status Imperii cum Confœderatis, qvamvis postmodum ex his novæ semper ortæ factiones atq; seditiones. Unde in Instrumento pacis duarum etiam imprimis litigantium facta est mentio partium, qvas inter constituta est Amnestia. *Duabus plures erant* (1) cùm interemto aliqvando *Cæsare* alia erant *populi*, alia *Senatus*, alia *paucorum* molimina, qvos inter Cicero Amnestiam firmare conabatur. (2) *Apud Athenienses*, alia erant studia *Servitutis Satellitum*, qvi infandum Tyrannis addixerant ministerium; Alia *eorum, qvi ad privata tantùm intenti*, atq; prout unumqvemq; sua spes traxerat atq; voluptas, erro-

re potiùs & consternatione abrepti, qvàm odiô & malitiâ, ad impugnandam Patriam suam strenuè adjunxerant operam: *Alia eorum, qvi favore boni publici cum Thrasybulo indignè ereptam Patriæ libertatem repetentes, tertiam & optimam constituerant partem.* Paucis: Inter ipsa bella civilia novarum partium semina sparguntur, eruptura in turbas, cumprimum occasio se præbuerit. Hinc rarò Discordantes partes duas, plures autem reperiri in proclivi est positum. Jam, quò magis ardua & plurimis obsepta difficultatibus est Civicarum dissensionũ compositio atq; adeò inter eos, qvibus commune forum, una societas & qvotidianæ conversationes, vindictæ nocendiq; sepelire cupidinem; Eò magis Amnestiæ remedium occupandis vel præcidendis his malis proprium est.

§. 10. *Ad anteacta*, circa qvæ Amnestia versatur, convertor. Comprehendo sub iis Anteacta delicta atq; injurias. Justinus loco Anteactorum *Discordias* nominat; Nepos, *Res Anteactas*: Cæteri *præterita, item Res præteritas*. Græci τὰ γεγενημένα τὰ συμβεβηκότα &c. Continent itaq; dicta modò Anteacta tùm verba tùm facta, cum Legibus Civilibus, & consequenter etiam aliis è diametro pugnantia, tranqvillitatemq; publicam evertentia. Addunt alii intelligi hîc *Anteacta omnia*, qvæ oblivione delenda, qvos inter est Felw. l. d. sibi tamen non satis constat, dum postmodum certis limitationibus adstructam anteà universalitatem dubiam facit: Ast meo qvidem judicio hæc universalis ratio, nisi respectus ad sensum habeatur accommodum, tolerari neqvit. Res ut pateat, distinctè est procedendum; *Delicta*, injurias simul includo, qvod me facere posse sum persvasus, vel conspiciuntur in hominibus, inqvietis, sceleratis, mala agitantibus consilia, & postremo iis, qvorum vita est ita cunctis vitiis ac flagitiis dedita, ut sanari nullâ ratione possit; sed novum Reipubl. periculum metuendum: Vel in homines cadunt Seductos, Innocentes, corrigibiles, qviq; aliter facerent, si præsentis vitæ pessimæ iniqvitas fuerit ostensa. Illos ob delictorum gravitatem tollendos esse, *sed justa modò adhibeatur cautio, incorrigibilisq; malitia omnibus ita sit exposita, ut de immutandâ ratione nemo dubitare qveat*, censeo, non secùs qvàm eas partes Corporis, qvibus medicina adhiberi non potest. *Cæteros verò qui vel propter Adolescentiam, vel imprudentiam, vel ignorantiam aliosq; casu volentes vel inviti deliquerunt, eos puto, esse admonendos,*

nendos, ut rectiùs ſapere discant, & iis conſequenter condonandum.
Ducatur itaq; ad Amneſtiam (1) *Malitia*, qvando deſtinato Animo atqve magno Exemplô delictum in Rempubl. eſt commiſſum. Utut enim graviùs Rempubl. lædat, & ſupplicio, juxta rigorem juris, non indigna videatur; Cùm tamen hîc Angvis in herbâ lateat, deſperatio ſcilicet, qvæ ſecùs ſperanda; ne nimirum ſint, qvi deſperatâ ſalute in Comitibus exitii ſolatium qværant, & Respubl. atrociſſimis bellorum civilium tempeſtatibus objiciatur, hæc qvoq; oblivione venit tramittenda (2) *Error*, ubi qvidam inconſultis Affectibus falsâ opinione decepti abreptiq; malorum exemplis deliqvium fecerunt. Hi qvippe non tàm ſuâ, qvàm aliena lapſi ſunt culpa, inde veniâ, qvàm graviori animadverſione, magis videntur digni. Permultùm intereſt, *ait Cic. L. 1. Offic. utrum perturbatione aliquâ Animi, qvæ plerumq; brevis eſt, & ad tempus; An conſultò & cogitato quid fiat: Leviora ſunt enim, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam qvæ meditata inferuntur.* (3) *Caſus*, quo quibuscunq; præſtigiis aut vi armata ad participandum ſcelus peccarunt compulſi: Hoc enim delictum temporis neceſſitati pravisqve Sociis potius, quam ipſis eſt imputandum (4) *Quodcunq; etiam gravius ſcelus*, modo aliqua iſtius corrigendi vel firma vel probabilis ſpes reſidua ſit.

§. 11. Oritur hîc haut temnenda Quæſtio: *Utrum etiam Crimen læſæ Majeſtatis veniat ſub Amneſtia?* Scinduntur, ut in tali fieri ſolet caſu, Doctores in partes. Alii urgent *graviſſimum læſæ Majeſtatis crimen eſſe & graviter ſemper in omnidus populis, terroris cauſa, vindicatum*: Continere enim (1) *offenſionem Dei*, cujus vicem Imperator vel Princeps teneat, cujusq; poteſtas à DEo ſit, ideoq; proditor Principis dicatur Proditor Dei. (2) *Parricidium*, dici enim eum, penes qvem ſumma poteſtas, Patrem Patriæ. (3) *Prodetionem*, quia Proditor Patriæ ſit, qvi ejusdem Majeſtatem lædat. (4) *Crimen falſi*, qvoniam fidem promiſſam & debitam etiam ſub juramento violet. (5) *Repugnantiam Naturæ*, nullus etenim Grex, Teſte *Xenoph. in Pæd. L. 1.* offendit Paſtorem, exceptô homine, qvi Principem ſuum ſæpè impetit. *Carpz. c. l. Part. 1. Quæſt. 41. n. 1.* Hæc omnium maxima Crimina non niſi capitali ſupplicio coercenda, & ſic oblivione delenda neutiqvam eſſe mirâ ſvadent induſtriâ: *Alij verò mitiùs agendum eſſe, in tantis difficultatibus conſtitutâ Republ. monent*, conqveruntur; apud Roma-

Romanos, sive perpetrati sive cogitati solùm sceleris convictum non tantùm ultimo subditum esse supplicio, sed & partem paterni criminis, qvod aliàs filio innocenti nullam infligere deberet maculam, cùm unusqvisq; ex suo admisso sorti subjiciatur, nec alieni Criminis successor constituatur, & peccata suos potiùs Auctores tenere debeant, in Liberos esse derivatam. Longiùs progressos mirantur Scythas cum Parentibus statim sceleratis Filios enecantes. *Teste Herod. L.4.* Dolent non atramento sed sangvine scriptam Macedonum legem, decernentem, *ut reorum quoq; Propinqui necarentur. Conf. Curt, L.6, C. 11.* Qvorum sententiæ & nos jam subscribimus, idq; eò magis, *quod illi Autores fortè extra Amnestiam tristissimamq; Reipubl. faciem Crimen hoc respiciant*, qvod nos neutiqvam facere, qvilibet videt. Nam in turbato rerum statu, qvando Arma Subditorum vel in Principem moventur, vel inter sese, qvô ipso nihil miserius, nihil fœdius, & qvod meritò mare ipsum dixerim calamitatum, cum *Lipsi. Pol. L. 6. C. 1. n. 2.* nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura cara haberi possunt, ubi occidere palàm ignoscere nonnisi fallendo licet *Tac. Hist. 1. 58. 4.* rectiùs facit Princeps, *si pœnitentiâ potiùs, quàm pœnâ sit contentus*, ne aliàs, sparsâ per multos formidine, rixas magis magisqve adjuvet, aut turbines adhuc in compositos resuscitet, & vulnera vix satis refecta refricet. *Satiùs profecto est parcere nocentibus, ut Innocentes serventur, quam hos simul perire, istis per promeritum supplicium abreptis.* Eqvidem tolluntur per tale supplicium è medio nonnunqvam illi, qvi indignum qvid commiserunt & sic sceleris legitimas luunt pœnas; Sed horum vel Parentes, vel liberi, vel fratres, vel consangvinei, qvi vel Innocentes, vel ad Commoda Reipubl. qvoadusq; intenti, reliqvis non leviùs perturbantur, conceptam inde iram tamdiu fovent, usq; tum erumpendi lata pateat fenestra, ut in locum amputati Membri unius, succedant ferè innumera nocivis magis infecta Morbis. Et qvid qvæso, in tali necessitatis casu, severa vindicatio à Malefico sumit; *injuriæ solatium & in reliqvum securitatem.* Ast jurarem diviniorem plus Principis esse Animum, qvam his delectetur, cùm sciat clementiâ, rebus ita constitutis, magis excrescere collabentem Statum, qvàm severitate nimiâ. Qvippe qvi atrocitate supplicii liberati, pudore partim sceleris, partim elargitâ gratiâ devicti, emendari se per totam vitam patiuntur, vitamq; dono qvasi con-

cessam

cessam danti referunt. Dignum Muliebre Consilium est Liviæ, Augusto latum, ut clementiæ copiam, cùm multis insidiis esset obnoxius, sibi infestis faceret, qvod hic adscribatur. *Juxta Dionem L. 55. Ego, inquit, Tibi consilium dabo, si quidèm voles capere, nec debebis propterea rejicere, quod cùm sim Mulier, id tibi consulere audeo, de qvone Amici quidem Te admonèbunt, non quod id planè non intelligant, sed quod non audeant explicare. Mihi quidem videtur, multò plura corrigi posse humanitate & benignitate, quàm ulla crudelitate. Etenim ij qui veniam dant, non solùm cari sunt ijs, quibus se misericordes præbuerunt, ita ut illi studeant his meritam & debitam referre gratiam; Sed etiam apud cæteros omnes summô in honore sunt, & coluntur ab omnibus, ita ut ijs injuriam facere audeat nemo. Contra autem qvi inexorabiles iras gerunt, non tantàm odio sunt ijs, à quibus timentur, sed etiam sunt reliquis omnibus permolesti: Ex quô fit, ut ijs plerique parent insidias, ne priùs ipsi pereant. Annon vides Medicos, quàm rarò veniant ad urendum & secandum, ne morbos efficiant graviores, & ut eos perfusionibus ac mitibus medicamentis curent, atq; emolliant. Nec verò existimare debes, inter Morbos Corporum & has Animorum perturbationes interesse. Nam ea, quæ Corporibus accidunt, sæpe solent cum Animis nostris, quamvis in Corpore sint, convenire. Levis & placida Oratio ferocitatem reprimit, quemadmodum aspera mansvetum hominem ferocem infestumq; facit. Præterea data venia immanem ac ferum continet, atq; coercet, non aliter, atq; supplicium mitem & placidum incendit; Nam facta violenta, quamvis justissima sint, omnes concitant; mansveta verò mitigant & relaxant. Consiliis Augustus respondit, quippe referente Seneca, de insidiis sibi à Cinna paratis certior factus, ita secum ratiocinatus: Quid ergo? Ego Percussorem meum securum ambulare patiar, me solicito? Ergo non dabit pœnas, qui tot Civilibus Bellis frustra petitum caput, tot navalibus, tot pedestribus præliis incolume, postquam mari terrâq; pax parta est, non occidere constituit, sed immolare? Rursus Silentio interpositô, majore multò voce sibi, quàm Cinnæ, iratus erupit, quid vivis, si te perire, tàm multorum interest? quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis?*

§. 12. Ut verò constare qveat, qvæ & qvalia Anteacta in Amnestiam venire debeant, qvanqvam si omnia includi qveant tutissimum videatur, nisi præsentissimum inde metuendum periculum, curandum

studiosè est (1) *ut nulli, cujuscunq; tandem sceleris rei sint, modo spem pœnitentiæ facere possint, excipiantur.* Nam eodem Titulô alii facilè possunt circumveniri. (2) *Speciatim omnia Crimina Majora, de Minoribus enim ut suscipiatur lis, operæ non est pretium, quæcunq; ullâ ratione objici possunt, sunt determinanda.* (3) *Omnis quoq; Juris & Autoritatis illius abolitio urgeri at; exprimi debet, quod aut quæ Amnestiæ beneficio ac usui esse possit.* Nullum quippe præsentis legis ac beneficii publ. post culpam majus est munimentum, quàm omnis ejus rei speciatim expressa abrogatio, qvæ præsenti legi aut beneficio possit obesse. *M. Z. Boxhorn. Disquis. Pol. Disq. 52. p. m. 249. Observarunt id aliquando Invictissimi Svedi, cùm enim in Tractatu Pacis Cæsareani Amnestiam in Comitiis Ratisbonensibus sancitam Ao. 1641. urgerent, responderunt, eam esse conditionatam:* Sie schliese aus Böhmen/ die Erblande/ die Phälzische Sach/ Baden Durlach/ Item, Würtenberg/ Nassaw/ Sarbrücken/ &c. (*vid Art. 4. Instr. P. per totum*) und die jenige/ welche darinnen begriffen/ hätten sich keines andern als des Pragers Friedens (*Anno 1635. concessæ*) zu tröstẽ/ welcher *in consultis illis* geschlossen/ und darnach dem meisten Theil/ *vi metuq;* abgedrungen/ auch *ex post facto* nicht *legitimè ratificiret* worden/ daß man also solchen/ nicht als eine Vergleichung einer innerlichen Unruh im Reich/ sondern als ein *Armistitium* zwischen dem Ständen/ ja ein gewisses *fœdus* und Krieg wider die Kronen achten und halten thäte/ dahero die Amnestia ad Ann. 1618. sine exceptione, limitatione & conditione eingerichtet werden müste. Rectè id Svedi urserunt, omnes enim Amnestia complecti debent, modò *in stabilienda immunitate Lutheranæ Religionis, quantum ad plura, quàm determinata sunt, loca, magis fuissent negotiosi.* Sed de his videantur alii Conf. interim potest *tùm Instr. P. tùm Burgold. Disc. XVII. de Amn. B. C. G.*

§. 13. Singula hæc, qvemadmodum exposita sunt, Anteacta Oblivione tolli debent. *Oblivio, uti jam tùm monui, aliquam malorum memoriam notat, quæ hinc excludenda, quando scilicet retinentur præterita disceptandi vindicandiq; studio, quam itaq; vocem, licet non tàm memoriam h. l. quam vindictæ studium ac voluntatem tollat, non sine ἐμφάσει cum favorabili extensione & incremento acceptam volumus, hunc fere in modum: Ut tam firma adsit stabilisq; dimittendæ omnis disceptationis, omnis quoq; vindictæ voluntas, inter partes, quasi,*

ne sci-

ne scirentur quidem Acta superiorum temporum, neq; grave sibi aut molestum accidisset quicquam, quasi quæ facta sunt ultrò citroq;, nunquam aut commississet quisquam aut ullus esset passus. *Abolitio* quippe dicitur Capitolino & Svetonio, non quod facta infecta reddi possent; sed quod nunquam facta videantur, quorum nulla supereſt disquisitio, vindicatio, lis &c. In cassum hinc illicò abit exceptio ista: *Lege oblivionis injungi aliquid quod impossibile, ad id autem neminem obligari posse.* Ut enim de discrimine τῦ *Impossibilis in omninò & pro tempore seu ex suppositione talis, cum Grot. L. 2. C. 13. n. 8. & 9.* nihil moneam, dicamq; ad posterius omnino aliquem obligari, quamvis istiusmodi impossibile ne hîc qvidem deprehendere valeam; In nostra sanè potestate situm est, imprimis, si lege ita agere jubemur, præterita quæcunq; non sub acerba contentione & vindicatione recolere. Qvò clariùs verò talis pateſcat abolitio oblivione facta, apponamquandam, quæ succurrit, formulam *Gallis Anno 1568. à Carolo IX. constitutam*, quam effert Lambinus. *Edicimus &c. Omnes injurias atq; offensiones superiores, quas temporis iniquitas & occasiones ex eâ natæ inter Cives nostros pepererunt; Omnia mala præterita, quæ ex superioribus motibus ac tumultibus manarunt, funditùs extingui eorumq; memoriam sempiterna oblivione extingui, deleri atq; obrui, ut proinde sint, quasi omninò nunquam evenissent: Vetamusq; disertisimè planisimè atq; apertisimè, & capite sancimus, ne qui ex nostris Civibus, cujuscunq; sint ordinis, loci, gradus aut fortunæ, audeant inter se lacessere, provocare, irritare, præterita objiciendo aut exprobrando, neve ullâ de re Anteacta inter se altercari, rixari, jurgare & contendere, neve convitiari & maledicere, neve facto aut verbo contumelioso inter se offendere ac lædere; sed potiùs sibi moderentur ac temperent, concordiamq; ac pacem in omni vita degenda colant, tanquam fratres & Amici, & boni concordesq; Cives.*

§. 14. *Neque vero tempore finienda fortè hæc Oblivio & tamdiu colenda, quamdiu adhuc intestini calent motus; Perpetuitas adsit oportet*, propterea Sempiternam oblivionem Amicitiæ, item constantiam ac reconciliatæ benevolentiæ firmitudinem, eam Tullius esse dixit. *Observavit hoc Imperator Maximilianus* I. *Ut enim veterum injuriarum memoria prorsus deleretur*, Librum, qui Spiræ adservabatur, in quo omnes injuriæ ante id tempus à Galliæ Regibus Impe-

Imperio & Germanorum genti illatæ continebantur, cremandum mandâſſe ſcribitur. *Conf. Burgold. l. cit.* Obicem contra deteſtandum poſuit *Ludovicus XII. Galliarum Rex: Huic quippe poſtquam Mediolanenſes aliquamdiu rebelles extitiſſent, honeſta & ſibi tuta conditione reconciliari voluerunt. Sancita itaque generalis Amneſtia eſt omnibus nemine excepto, Ludovico tamen poſt iſtud decretum Mediolanenſium Civitatem ingreſſo è Civium potioribus plurimi ſupplicio Capitali affecti, quibus atrocia quædam crimina & cæteræ multitudinis culpâ majora, ut ſupplici cauſa impingebantur. Agitatum mox Gallos inter & Mediolanenſes; Anne id liceret: Annon Amneſtiæ beneficium ad quodcunque tandem ſe extendat flagitium. Iniquitate maxima premi ſe rectè judicabant Mediolanenſes, objicientes publicam fidem & promiſſam impunitatem etiam à Rege ſervandam, ſi non melioris æquitatis Galli futuri ſint cuſtodes, dicebant fore, exiſtimet populus integer, ſe non teneri pactis illis legibusque queis Gallis ſubeſſe reciprocè promiſerint. Galli contra, neſcio quo ducti animo, aut quæ inſtructa fuerit Amneſtia, Leges Amneſtiæ temporis ejus eſſe, quo decernantur, non autem cujusvis temporis, poſtquam decretæ, rebantur. Juſta igitur ſupplicia eſſe Galli decrevere, & in vanum ad Amneſtiæ legem populum Mediolanenſem provocare cenſebant: Ita factum eſt, ut modici admodum uſus inter Mediolanenſes fuerit beneficium ſancitæ Amneſtiæ. Conf. Boxhorn. l. c. p. 245.* Videndum itaque, ut ne fallacia Amneſtiæ, quod proh! dolor, ſæpiùs fit, injiciatur; Sic enim, *niſi Princeps contra jus Gentium agere velit*, illi qui continentur ſub Amneſtia, ſatis ſecuritatis in perpetuum, quantum ad anteacta, impetrare poſſunt. Sed ut ad ſcopum rurſus veniam, ut firmitas Amneſtiæ perpetuitasque & vindictæ item abolitio conſervetur, *multa ex Anteactis conſtitutisque in Republ. aut latis Legibus, licet non probentur, temporis & majoris commoditatis cauſa confirmanda ſunt. Ita Acta Cæſaris* (quanquam huc non videatur determinatè facere;) *pacis cauſa confirmata ſunt à Senatu, ſcil. in ipſo illo SCto, quo Amneſtia continebatur. Cic. Philipp. 2. 39. & Phil. 1. 9. Acta Cæſaris ego, qui illa nunquam probavi, ita conſervanda concordiæ cauſæ arbitratus ſum, ut non modò quas vivus Cæſar leges tuliſſet, infirmandas hoc tempore non putarem; Sed ne illas quidem, quas poſt Mortem Cæſaris prolatas & fixas videtis. Conf. Böcl. Diſſ. de Amneſt. p. 604.*

§. 15. Hæc

§.15. Hæc injuriarum Oblivio cùm clementiam contineat insignem, id non nulli in contrarium urgent. *Clementiam multam nutrire pestilentiam magnamq; inducere peccandi illecebram, cùm facilè eat ad culpas, ubi facilis ignoscentium est gratia, juxta illud Arnobii. Velut Guntherus habet L. 1. Plus sæpe nocet patientia Regis, qvam timor ille nocet paucis, hæc concitat omnes, dum se ferre suos sperant impunè reatus.* Sed obs. in aliis Jmperii negotiis si unquam, hic certè ante omnia pensitanda est *Reipublicæ utilitas & status, ut loqui amant, ratio.* Hæc sane haut rarò communes juris linquit regulas, bono magis exemplo quam concessô jure. *Tac. L. 1. Amnal.* Oblivione sepeliuntur facinora, non ut peccandi concedatur copia, sed ut ista tantum, quæ ceu facta revocare & impedire non licet, non sint exitiali nocumento. Si interim post tempus sancitæ Amnestiæ suis quidam prioribus vacare vellet delictis, eum delendum absumendumq; esse, nemo repugnabit. Alii id movent: *Generalem abolitionem, quanquam perduellibus ipsisq; principibus turbarum viris gratia sit facta, æquè minus alere securitatis aut fiduciæ. Semper enim metuendi sunt quos semel læseris, vel qui te læserint: Jlli n. Ulciscì cupiunt, hi metuunt, ne ulciscaris & prævenire sæpe malunt Boxhorn. in Expl. ad instit Pol. L. 1. C. 33.* Verum quantum ad prius, id facile cavebit Princeps periculum, si ita se gerat ne inoblitæ culpæ possit hauriri suspicio, atq; parum salutis in suâ fide reponentes beneficiis emolliat & præmiis, occidere cum non liceat in suam Amicitiam alliciat. Sic Augustus se gessit, quippe bina vice tùm ut hosti, tum ut Parricidæ & Insidiatori, Cinnæ vitam largiens, ultro insuper post hæc non adspiratum obtulit Consulatum, inde amicissimum fidelissimumq; eundem postmodum habuit, hæres ei solus fuit, nullisq; amplius insidiis ab ullo petitus est, ut testatur Scip. Gent. L. 2. de Conjurat. Quantum ad Posterius, æqvè metuendum esse Principi ne Perduelles pristinũ resumant animũ, sciendũ est: Aut rem esse cum Bonis queis vitam purgandi est Animus, aut cum perfidis, quiq; in mala excogitanda & promovenda semper sunt intenti. Cum illis si intercedat pactum, extra dubium est, quin acceptâ gratiâ satis demulceantur. Cum his v. si agendum, modo Arma, & quicquid ad inferendã conducere potest cladem illis subtrahantur, & tunc frustraneæ sine viribus erunt insidiarum meditationes & ipsæ dolosæ machinationes. Conf. Felw. l. c.

§. 16. *Finem Amnestiæ pacem esse, qvilibet ex Definitione de facili colligit. Cicero Pacis fundamentum optimum* Amnestiam *appellare amat. Cumq; pro diverso sanctionis tempore, vel ante exorta surgat Arma Civilia, vel flagrantia jam tùm extinguere conetur; Duplici potissimum hic finis obtinetur modo*, vel tùm, *si tempestivè, & antequam civico sanguine rubuere gladij instituatur; vel tum, ubi inopinatus Civium furor jam exarsit.* Illic Pax agonizans viribus sufficientibus per salutiferrimum hoc medicamentum restauratur: Hic concussa Respubl. reficitur, intestinum Bellum præscinditur & pax discordantis Reipubl. redintegratur. Prior si obtineri debet Finis, punctum temporis adhibeatur accommodum necesse est, secundus ubi speratur successus. Nam tempus oportunum rerum gerendarum alias ut anima est; Ita si insuper habeatur in hôc negotio, difficultatum Civilium, si ardere in proclivi stant, difficillima est compositio, cùm tristia semper tristibus malum Civile cumulet. Dubio procul vero accommodatissimum erit tempus, antequam Civiles istæ discordiæ in funestissima ruant Arma, si Remedium hoc constituatur, dum incipiens adhuc nondumq; adulta seditio melioribus flectitur consiliis, *loquente Tac. L. 1. Hist. C. 31. Et ut Cicero dicere amat:* Dum malũ adhuc in herba est & inter initia invalidum, dum nondum multi coivere, dum neq; illi spem victoriæ, neq; hi indignationem & studium vincendi ex toleratis damnis planè imbiberunt. Faciebat id ipse, cùm enim, Cæsare in Curia tribus supra viginti vulneribus confossô, gladium cruoremq; civilem; quasi ante oculos positum conspiceret, omnem injuriarum atq; anteactorum memoriam sempiternâ oblivione delendam statim judicabat.

§. 17. In Fine Posteriori *duplex* medelæ notandum est *tempus*, aut dum collidere ceperunt gladii Civiles, cruore tamen nimio nondum conspurcati; aut dum ita furere per distractum temporis spatium perrexerunt, ut nec finis miseriarum, nec exitus facilis sperandus reliquus sit. Illud uti publicæ paci reconciliandæ commodius, ita hoc expectâsse miserrimum est. De priori dubia res minime est; *dum enim primæ invicem vi & armis expiscantur vires, mutuo metu utriq; continentur, ignari, fortunâ quis futurus fortè potior, eadem magnum quid deliberante, & advertentibus cum tædio omnibus, quantas & quamdiu collectura iras sit feritas, unde, qvamvis ex æmulatione in Bellum ruatur, Partis unius tamen si vel leviter fatum casi-*

castiget audaciam, cadant Animi resumiq; se & firmari aptis etiam locutionibus vix patiuntur. Litium itaq; harum compositionem difficilem haut esse & vix Amnestia vel commodiori saltem sine indigere patescit. Posterior vero plus negotii facessit; dum enim insatiabilis apud superiores plerumq; vindictæ est licentia & ingens ejusdem apud oppressos vicissim desiderium: dum præsidium non nisi in desperatione aut excitata apud Exteros misericordia est residium: dum castra ex una Parte contraria & Parentum Liberorumq; sacramenta diversa, loquente Sen. 2. de Ira C. 8. Dum proscriptiones surgunt innoxiorũ ob divitias, Cruciatus Virorum illustrium vasta Urbs, fuga & cædibus, civium miserorum bona, quasi hostilis præda, vænum a. dono data, loquor cum Salustio Or. Lep. Hist. t. 2. 11. Dum deniq; non ætas, non dignitas quemquam protegit, quo minus stupra cædibus & cædes stupris misceantur Tac. Hist. 3. 33. 2. Jam tentet quis hæc gravissima, tanto firmata sanguine odia ferrô & igne componere, & oleum profecto dabit flammæ, & incrementum malo indefectibile. Præter victoriam aut Amnestiam exitus ex hoc Calamitatum labyrintho patet nullus, At quæ victoria, cum omni sanctô sacroq; violato, dissoluto consanguinitatis & amicitiæ vinculo alienigenæ undiq; ad splendidissimas patriæ opes tanquam ad prædam fuere invitati, omnia Amicorum & sociorum cruore, cladibus, & incendiis fœdata, devastata atq; exhausta imò ipsâ Respubl. vincendo devicta sit. Ægram profectò Rempubl. esse, quam hac ratione curari præstat, patet & satius tn. est, esse adhuc aliquã, quã nullam, utut etiam Bellis intestinis labefactata sit & concussa. Conf. Felw. l. c. p. 893. *Restat ergo unica & sola, sufficiens huic pestilentissimo malo abolendo, Amnestiæ virtus, quæ ægrio etsi applicetur, modo genuine fiat paci restituere Res fermè omnes collapsas non desistet.*

§. 18. Compositis sic per Amnestiam rebus, ne quis forte de Jure suo amisso conqueratur, dumq; ad resumendas proprias possessiones turpiter in aliorum, usum deventas, non ilico accipit copiam, *novas cieat seditiones*, egregium hîc usu venire *Arati* potest factum, quod ab omnibus admittatur, voti, quam facti magis res est. Recenset illud Cicero L. 2. Off. sub finem: *Aratus, inquit, Sicyonius jure laudatur, quod, cùm ejus Civitas, quinquaginta Annos à Tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandestino introitu Urbe est potitus: cumque Tyrannum Nicoclem improviso oppressisset, sexcentos Exules, qui fuerant ejus*

Civi-

Civitatis locupletissimi, restituit, Remque publ. adventu suo liberavit. Sed cùm magnam animadverteret in Bonis & possessionibus difficultatem, quod & eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum arbitrabatur: Et quinquaginta Annorum possessiones movere, non nimis æqvum putabat, propterea quod tàm longo spatio multa hæreditatibus, multa emtionibus, multa dotibus detinebantur: Sine injuria judicavit, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Cùm igitur statuisset, opus esse ad eam rem statuendam pecuniâ, Alexandriam se proficisci velle dixit, remque integram ad reditum suum esse jussit, isque celeriter ad Ptolomeum suum Hospitem venit, qui tùm regnabat alter post Alexandriam conditam: qui cùm exposuisset, Patriam se liberare velle, causamque docuisset, à Rege opulento Vir summus facilè impetravit, ut grandi pecunia adjuvaretur. Quam cùm in Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim Principes, cùm quibus causas cognovit, & eorum, qui aliena detinebant, & eorum, sua qui amiserant, præfecitque æstimandis possessionibus, & ut persvaderent aliis, ut pecuniam accipere mallent, & possessionibus cederent: Aliis ut commodiùs putarent numerari sibi, quod tanti esset, quàm suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes constituta concordia sine querela discederent. O Virum summum, qui Civium bona & commoda tàm bene advertere didicit. Vertite, admoniti, Principes boni quicunque oculorum aciem in hunc Græcum, imitamini, ubi res desperatæ sic poscunt, eundem & Patres Patriæ non vocabimini modò, sed eritis, & integrum Subditorum Amorem in Vos derivabitis.

§. 19. His observatis *Effectum Amnestiæ nobilissimum esse quis auderet dubitare.* Sublatis certè mutuò offensis & inimicitiis, conciliatis concordiâ, amicitiâ & benevolentiâ, collabentem firmat vel collapsum restaurat Statum Reipubl. eundemque sartum tectumque, quantum in se est, ad seros usque perpetuitatis conservat Annos. Cùm sic resipuissent Athenienses & hanc Oblivionis Legem admisissent, non modo Tyrannidem discordiasque suffocarunt, sed de cætero etiam plures fortunâ felicitateque constanti antestèterunt, & rebus semper usi secundis, recuperatâ vicissim ereptâ Urbe, Principatum tenentes & exitio Spartanorum securitati suæ consulentes, quorum salutem pariter ac perniciem in sua posi-

tam

tam manu habuerunt. Experti hoc, quod dixi, sunt è Gallíæ Regibus Carolus IX. & Henricus IV. qui pestilenti exulceratam Galliam bello, discordiis oblivione amotis, pristinæ restituerunt sanitati, & vigorem resumtum hoc remedio conservarunt. Quem Amnestiæ, quippe quæ ceu fundamentum totius pacificationis supponebatur, fugere potest fructus, quem sparsit, demortuam planè tricennali bello letali, svavissimam nostram Patriam, vitæ & incolumitati reddendo. *Stabant jam parati iterum Svedi cum Sociis, Carolus Gustavus cum supplemento militum è Svediâ advenerat: Nec minus Lambojus à parte Cæsaris tentare fortunam decreverat: Dumque partes reliquarum virium periculum facere moliuntur, exiit Monasterio salutare & sæpiùs multorum calidis votis expetitum edictum; Parce Miles ferrô: Omnium Anteactorum memoria sempiterna oblivione esto damnata. Atque ita tandem postquam tot ac tanta Iliacos intra Muros & extra commissa sunt, funestissimum Civile bellum, quod per bonas Artes procrastinari non poterat, salutari pace mutatum in ultimô morbi periculo. Jubeat divinum Numen ut ejecta per tumultus istos omnis pietas, reditum instituat, & ex multis adhuc Cladis ruderibus nova melior que facies resurgat. Avertat Gallorum iniquissima molimina, quibus, nescio quô furiarum ducti Principe, totum fere Orbem in infensissima conjecerunt Arma! Pacatos jubeat esse fines nostros, & qui tranquillitate frui nesciunt, illos arumnis & facillanti ad hostium saltem adspectum fugæ concedat, nobis interim saluberrimâ pace ex Amnestia orta constanter relicta! Quo pio voto præsentem Dissertationem finio: Quod si ea, quæ hujus paginas impleverunt, non omnia fuerint utilia, materiæ gravitate excusatus; si non omnia fuerint inutilia, paucis etiam istis ero contentus.* A Te interim B. L. benignius judicium expecto, referens

S. D. G.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-545788-p0027-5

S. D. G.

05 A 795

ULB Halle
3
003 767 558

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-545788-p0029-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-545788-p0030-1

Q. D. B. V.

DISSERTATIONE POLITICA,

AMNESTIAM

PRO LOCO

Ab Amplissimo Philosophorum

Ordine sibi benevolentissimè concesso,

IN

INCLYTA AD ALBIM ACADEMIA,

Favente Numinis div. gratiâ,

Publicè defendent

PRÆSES

M. JOHANNES WOLFIUS,

Löbej. Saxo,

&

RESPONDENS

AUGUSTUS POSSELTUS,

Zittaviâ Lusatus,

Ad D. 2. Maji. MDC LXXIIX.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRŐDTERI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-545788-p0031-7